



19

COM M E N T A T I O

DE

N V M M I S

CAPRICORNO SIGNATIS

ROMANORVM

QVA

SVAVISSIMIS FRATRIBVS

IO. ERNESTO IMMANVELI

ET

CHRIST. GVIL. FRANCISCO

WALCHIIS

DE


PHILOSOPHIAE PROFESSORIS

EXTRA ORDINEM MVNERE

D. VII. MART. CLO 10CC L. IPSIS TRADITO

GRATVLATVR

CAROL. FRIDER. WALCHIVS.



IENAE LITTERIS RITTERIANIS.

COMMITTEE
DE
N V M I S
GABRIELINO SIGNATIS
COMANORVM

SVAVISSIMS FRATIBVS
IO. KRISTO O IMMAYETI
OF
CHRIST. CVL. FRANCISCO
WALCHES

PHOENIX PROSESSORIS
EXTRA ORDINARIUS
IN THE NEAR BY THE TOWN OF
CAROL FRIDT. WALCHIVE



* * *



OMNES sane, SVAVISSIMI FRATRES, humanitatis fines transgrederer ac amoris officia negligerem, si hodiernam diem tacitus prætermitterem; neque cum omnibus, qui vobis bene cupiunt, in societatem hilaritatis coirem. Quæ enim virtus vestra atque diligentia peperit, obtinuistis præmia, quum vos cellisimi huius musarum domicilii conseruatores in amplissimum sapientum collegium extra ordinem cooptarunt hancque prouinciam rite auspicata hac luce suscepistis. Merito insignem ex eo capio læticiam eamque eo audacius præ me fero; quo minus vllum, quod prouinciæ professoris iucunditate ac suauitate non dicam anteferendum esset; sed eam exæquaret modo, inuenio litterarium munus. Nullum enim officium tam occasione, præclaram et reipublicæ; et ciuitati christianæ adferendi vtilitatem, vberimum: nullum tam optabili, toti litterato orbi per scripta prospiciendi, facultate abundat: nullum tam otio vitæque tranquillitate plenum; quam doctoris in liberalissimis studiis adfluente academia prouincia, existit. Gratulor itaque vobis deumque immortalem precibus contendo, vt vos in posterum saluos incolumes-

lumesque seruet: animi pariter ac corporis vires corroboraret stabilitate; nec permittat, ut vllus trifidior casus felicitatem vestram perturbet. Sic in spem venio, fore, ut vestri labores ac curæ ad salutem meliorum artium fructus, non contemnendos, progignant. Vti vero hæc dies insignem occasionem mihi suppeditat, aliis quoque singularem, quo vos amplector, amorem significandi; ita istam, quam dudum optavi, non prætermittendam esse, censui atque breuiter de capricorno, quem in nummis veteris Romæ videmus, commentari volui, exemplis GISB. CVPERI, LAVR. BEGERI, IO. PETR. BELLORII, virorum immortalis fama conspiciuorum, excitatus, quippe qui nummos, elephantos, serpentes apesque præ se ferentes illustrarunt. Non quidem me fugit, quod mei ingenii vires fatis sint tenues atque infirmæ; pro illarum ratione tamen, quæ valeo, in lucem proferam.

INSIGNEM ac potius principem locum capricorno in fictorum atque ex infelici veterum poetarum cerebro tantum procreatorum animalium numero, quo numismata sua sæpius ornabant, Romani prisca tribuebant, eoque magis; quo suauior ille ob faustam suam significationem eis erat, id quod magna nummorum copia, quam SEB. ERIZZO, a) HVB. GOLTZIUS, b) CAROL. PATINVS, c) FRANC. MEDIOBARRVS, d) IAC. DE BIE, e) IO. TRISTANVS, f) ANSELM. BANDVRIVS, g) IO. HARDVINVS, h) EZ. SPANHEMIVS,

a) in discorso sopra le medaglie, p. 142. 144. 32. 33. 34. 37. 39. 45. 67. 117. 122. 124. 125. 373. 384. 397.

b) numism. Augusti, tab. XXXVIII. num. 2. et II. XL. num. 9. LIII. num. 10. et II. LXVII. num. 1. 2. 3. 4. 5. 6. 7. 9. 10. 11. 12. ac fast. magistrat. et triumph. Rom. p. 219. et 219.

c) num. imp. Rom. p. 32. 333. et 376. nec non fam. Rom. ex antiqu. num. p. 100. ac obs. in Sueton. vit. August. cap. 94. Basil. MDCLXXV.

d) num. imp. Rom. p. 26. 28. 30.

e) num. aur. imp. Rom. tab. 111. num. 9. et XII. num. 1.

f) comment. historique, tom. 11. p. 263.

g) num. imp. Rom. tom. I. p. 153. sq.

h) in historia augusta, ex nummis antiqu. in opera eius selecta translata, p. 698. 729. 735. 760. 814. 849. et 850.

MIVS, *z*) IO. VAILLANTIVS, *k*) HENR. NORISIVS, *l*) SAM. PITISCVS *m*) exhibent, fatis abundanterque testatur. Effigiem capri, piscis cauda præditi, ei, ISIDORO *n*) auctore, adsignabant, proprieque, vt MACROBIVS, *o*) MANILIVS, *p*) ISIDORVS, *q*) HYGIVS *r*) habent, brumale erat signum. Veteres poetæ originem a Typhonis temporibus deriuant atque existimant, capricornum Panem fuisse, qui se, quum vna cum reliquis diis Typhonis metueret crudelitatem, in capricornum commutasset; deinde autem ex deorum voluntate astrorum numero esset adscriptus. Prouoco hanc in rem ad HYGIVM: *s*) *dii in Aegypto*, inquit, *quum Typhonis immanitatem metuerent, Pan iussit eos, vt in feras bestias se conuerterent, quo facilius eum deciperent, quem Iouis postea fulmine interfecit. Pan deorum voluntate, quod eius monitu vim Typhonis euitarant, in astrorum numerum relatus et quod se in capram eo tempore conuerterat, inde agoceras est dictus, quem nos capricornum dicimus, cum quibus ISIDORVM, *t*) ERATOSTHENEM, *u*) AMPELIVM, *x*) THEONEM, *y*) ANTONINVM LIBERALEM *z*) et ex recentioribus THOM. MVNCKERVM *a*) et SAM. PITISCVM *b*) coniungimus.*

A 3

AD

i) de usu et præstant. numismat.

tom. I. p. 238.

k) num. imperat. august. et caes.

p. 8. 93. et 110.

l) cenotaph. Pisan. dis. II. cap. I.

tom. III. oper. p. 139

m) in tabula nummor. Augusti,

quam eius vitæ, in Sueton. præmisit,

tom. I. p. 157.

n) libr. III. cap. 70. adde CL. SAL-

MASIVM exercit. Plin. tom. I. p. 873.

GER. IO. VOSSIVM lex. etymol. tom. I.

oper. p. 113. et SAM. PITISCVM lex.

antiqu. Rom. tom. I. p. 355.

o) com. in somn. Scip. libr. I. cap. 13.

p. 60. ed. GRONOVII.

p) astron. libr. IV. v. 243.

q) loc. cit.

r) astron. poet. cap. 27 tom. I. my-

thogr. latin. p. 46. ed. THOM. MVN-

CKERI.

s) fab. 196. tom. I. p. 276.

t) libr. III. cap. 70.

u) cataster. cap. 27.

x) cap. 2.

y) ad Arat. p. 156 ed. WALTERI.

z) metamorph. cap. 28. in scriptor.

hisor. poetice antiquæ p. 456. edit.

THOM. GALE.

a) obs. ad Hygin. loc. cit.

b) loc. excit.

AD rem ipsam accedo, primumque vnde acciderit, vt ille tam frequenter in nummis cernatur, exponere adgredior. Iam ab Augusto origo repetenda est, qui primam lucem capricorno *ωροσκόπος* lunari c) adspexerat. Prouoco, vt dictis fidem faciam, ad SVETONIVM, d) qui ait: *nummum argenteum nota fideis capricorni, quo natus est, percussit, cui CAESARIS Germanici e) verba adiicio:*

Hic

c) sic putat Ios. SCALIGER, de emendat. temporum, libr. v. p. 443. in quam sententiam plurimi eorum, qui hoc illustrarunt argumentum, DIONYSIVS videlicet PETAVIVS, IO. KEPLERVS, GOTTFR. WENDELINVS, ALB. RVBENIVS, EZ. SPANHEMIVS aliique decesserunt. Ex iis enim, quæ adduxi, effatis, tantum cognoscimus, eum capricorno sidere esse natum; illa tamen parum nobis definiunt, num Augustus solaris, vti vocant; an lunari, τὸ ωροσκόπος capricorni in lucem sit susceptus. Plerumque quidem ille; solaris nimirum, intelligitur; sed memoratos scriptores non ita esse interpretandos, alia loca, eis aperte repugnantia, docent. Sic SVETONIVS ipse, qui vit. Aug. cap. 94. §. 24. tom. 1. p. 363. ed PITISCI adfirmat, illum sub capricorno esse natum, cap. 8. §. 1. p. 164. natus est, inquit, Augustus M. Tull. Cicerone, C. Antonio COSS. IX. kal. octobris paullo ante solis exortum regione Palatii ad capita bubula, et VIRGILIUS libr. 1. Georg. v. 34. confirmat, eum sub libra esse in lucem susceptum,

quibus marmor adicias apud GRVETERVM, p. CCXXIX. Quemadmodum igitur supra dicti summi viri putant, quod falsa sint, quæ referat SVETONIVS, Augustum paullo ante solis ortum esse natum; ita SVETONIVM, MANILIVM ac CAESAREM Germanicum, quum capricorni mentionem faciunt, de lunari capricorno loqui, indicant eaque ratione facile nodum, quem alii haud soluendum esse iudicant, expediunt. ADPTOLEMAEI enim testimonium prouocant, veteres etiam lunare sidus obseruasse, Ceteri scriptores diuersa sentiunt, atque ex his præcipue notanda sunt, quæ IO. TRISTANVS comment. historiquæ tom. 1. p. 53. et IO. MORELLVS ep. ad Iac. Gronouium de nummis consular. p. 7. existimarunt, quum SVETONIVM, MANILIVM ac CAESAREM Germanicum de mendacio adcurarunt.

d) vit. Aug. cap. 94. §. 24. tom. 1. op. p. 363.

e) arat. phaenon. v. 534. quæ extant in miscell. phil. et theol. IO. CONRSCHWARZII.

*Hic Auguste, tuum genitalem corpore numen,
Attonitas inter gentes patriamque parentem
In cælum tulit et maternis reddidit astris;*

capricornus nimirum, quem antea nominavit; MAN-
LIVS f) autem ita canit præclare:

*contra capricornus in ipsum
conuertit visus, quid enim mirabitur illa
Maius, in Augusti felix quum fulserit ortum.*

Plura adferre possem; sed scriptores, qui hoc argumentum
fufius sunt persequuti, IOS. SCALIGERVM, g) DIONYS. PE-
TAVIVM, h) LVD. GARRIONEM, i) IO. TRISTANVM, k)
IVL. CAES. BVLENGERVM, l) IO. PIER. VALERIANVM, m)
HENR. NORISIVM, n) LVD. DAN. HVETIVM, o) ALB. RV-
BENIVM, p) PETR. PETITIVM, q) SAM. PITISCVM r) atque
I. A.

f) loc. cit.

g) libr. v. de emendat. tempor.
p. 433. et obs. ad Man. astron. p. 147.

h) libr. 11. de doctrina temp. cap.
64. p. 274.

i) libr. 11. emendat. cap. 2.

k) comment. historique, tom. 1. p. 53.

l) libr. 11. de diuinat. cap. 5. tom. v.
thes. antiqu. Romanar. p. 415.

m) hieroglyph. libr. LX. p. 436.

n) cenotaph. Pisan. dis. 11. cap. 1.
tom. 111. op. 139.

o) obs. in Manil. diſt. loc.

p) hic reliquis scriptoribus omni
iure est præferendus, quum summa
cura hoc argumentum est persequu-
tus. Non solum singularem de die
natali Augusti conscripsit commen-
tationem; sed tres quoque epistolæ
ab eo ad GOTTFR. WENDELINVM
exaratae, benigniore fortuna sunt

conseruatæ, quas IO. GEORG.
GRAEVIUS cum dicta commenta-
tione post præmaturam auctoris
mortem iuris publici fecit; nec so-
lum eiusdem libris de re vestiaria,
Amstelodami c10 DCCLXV. editis,
subiecit; sed etiam in tom. XI. thes.
antiqu. Rom. p. 1329. et 1378. trans-
tulit. GOTTFR. WENDELINO
quoque animus erat, argumentum
hoc illustrare, RVBENIO teste, de
gemm. Aug. et Tiber. tom. XI. thes. ant.
Rom. p. 1388. sed quæ sibi propo-
suerat, non perfecit. Vide lauda-
tum GRAEVIUM in præfat. diſt.
tom. thes. præmissa ac EZ. SPAN-
HEMIUM de vsu et præst. numism.
tom. 1. p. 236.

q) libr. 1. obs. cap. 5.

r) obs. in Sueton. loc. cit. p. 363. sq.

I. A. KIPPINGIVM *s*) nominasse sufficiat. Vti vero ea tempestate Roma astronomis, qui ex stellarum situ mortaliū fata prædicebant, adfluebat tantaque Romanorum mentes occupabat superstitio, vt quisquis fere ad eos accederet, id quod ex ISIDORO, *t*) IUVENALI, *u*) VITRVVIO, *x*) CENSORINO, *y*) SIDONIO APOLLINARI, *z*) SPARTIANO *a*) atque AEL. LAMPRIDIO *b*) cognoscimus; sic Augusto quoque in mentem veniebat, hac de re mathematicum interrogare et ad id Theogenem eligebat. Omnia adcurate SVETONIVS *c*) describit his verbis: *quum Agrippæ, qui prior consulebat, magna et pene incredibilia prædicerentur, reticere ipse genituram suam; nec velle edere perseuerabat, ne metu ac pudore minor inueniretur. Qua tamen post multas adhortationes vix et cunctanter edita exsiliuit Theogenes adorauitque eum. Tantam mox fiduciam fati Augustus habuit, vt thema suum vulgaret, ac, quamuis haud memoret, quid ei diuinatus sit mathematicus; maximam tamen illum felicitatem Augusto prædixisse, non solum ex eo patet, quod MANILIVS *d*) felicem capricornum vocat; sed luculentum hac de re præfertim nummus, quem, vt memoriæ facti huius prospiceret, cudendum curauit, præbet testimonium hancque in rem SVETONIVS *e*) consulendus est. Ipsum numisma minime extat in libris nummorum, quamquam GOLTZIVS *f*) et MEOBARBVVS *g*) duo exhibent, quæ ab omnibus aliis in eo sunt diuersa, quod in illis stella capricorno sit*

s) in August, dem ersten Römischen Keyser, quæ commentatio nuper prodiit, cap. 1.

t) libr. VIII. cap. 9.

u) sat. XIV. v. 279. p. 481. edit. SCHREVELII.

x) libr. IX. cap. 7.

y) de die natali, cap. VII. p. III. ed. LINDENBROGII.

z) libr. VIII. ep. 7.

a) vit. Antonin. Get. tom. 1. script. hist. Augustæ, p. 735.

b) vit. Ant. phil. cap. 3. tom. 1. p. 307.

c) loc. mem.

d) loc. citat.

e) dict. loc.

f) num. Aug. tab. LIII. num. 10. et LXI. num. 1.

g) num. imp. Rom. p. 28.

fit adposita, ideoque ei maxime similia videntur; non solum tamen ex ære; sed inscriptione quoque adparet differentia. Aenea illa sunt et quod maximum est, verba AVGVSTVS et ΣΕΒΑΣΤΑ in iis legimus, quæ nomina anno urbis condita DCCXXIX. vt ONVPHR. PANVINVS, *b)* IO. HARDVINVS *2)* et IO. ALB. FABRICIVS *k)* obseruant, acceperat imperator, quum iam antea, pugna Actiaca commissa: signis a Parthis receptis ac Armenia capta, capricornus in nummis cerneretur; præterea autem iam ab V. C. anno DCCIX. Theogenem consuluisse. *l)*

QVÆ quum ita sunt, facili negotio perspicere possumus, quare postea quoque in nummis capricornum signauerint Romani. Quæ Augusto mathematicus vaticinarius erat, ea fortuito acciderant, quumque, vt iam supra obseruauimus, eiusmodi nugæ veluti oracula, quæ instinctu diuino adflatuque funduntur, haberentur, quotiescunque res fauste prospereque eueniebat; capricornum recordatus fuit Augustus; id quod infra pluribus enarrabo. Ab hoc tempore illud animal faustum esse omen, credebant antiquiores eiusque imagine felicitatem summam exprimere incipiebant. In aliorum augustorum nummis itidem capricornus adparebat, quamquam minime ille sidus eorum natale. exitit: immo si duplicatam effingere animus eis erat fortunam, geminarunt illum, id quod nummi apud IAC. DE BIE, *m)* HVB. GOLTZIUM *n)* et IO. HARDVINUM *o)* satis testantur. Id etiam erat causa, quare sibi imperatores instar fortunæ augustæ *p)* adsciuerint capricornum; nec

B

b) libr. 11. fastor. p. 287.

i) oper. select. p. 698.

k) fragment. imp. Cæs. Aug. p. 29.

l) conf. IO. ALB. FABRICIVM
loc cit.

m) num. aur. imp. Rom. tab. XII.
num. 1.

n) num. Aug. tab. LXI. num. 5.

o) select. oper. p. 710. Adicias
velim, quæ IO. HEMMELARIUS
com. in num. aur. imp. Rom. Iac. de
Bie p. 36. obseruat.

p) varias veteres finxere fortun-
nas

ille in alio numifmate; nisi in iis, quæ in honorem imperatorum, auguſtarum atque cæſarum cuſa, ſignatus fuerit. Quas vitæ ſocias hi principes expetierunt, illæ in pari honorum gradu cum illis apud habebantur, id quod ſplendidus AVGVSTAE titulus: *g)* earum confecratio ac per eam nomen DIVAE, eis tributum, luculenter monſtrant, quamobrem non mirum eſt, quod in earum nummis, quos IO. HARDVINVS, *r)* IO. VAILLANT, *s)* CAROL. PATINVS *t)* exhibent, capricornus frequenter occurrat; præter has autem, cæſaribus, ſucceſſoribus imperii designatis, capricornus adſignabatur. Expeditionibus ſæpius præficiantur: conſulis, prætoris, quaëſtoris, tribuni: immo pontificis maximi partes peragebant, ac quemadmodum inſignia regia maiestatisque propria gerebant, quæ curate GEORG. LAVR. HAVSFRIITZIVS *u)* refert; ita iure meritoque capricornus, ſummæ veluti poteſtatis ac felicitatis ſymbolum, in eorum nummis cernitur. Illuſtre de eo nobis exemplum Cæſarienſis nummus, Luc. Cæſaris eſſigiem præ ſe ferens, præbet, qui apud IO. VAILLANTIVM, *x)* IO. HARDVINVM, *y)*

CAROL.

nas eaſque cognominibus diſtinxerunt, in quibus fortuna Auguſta, quæ AVGVSTI: AVGVSTORVM: AVREA: REGIA: FELICITAS AVGVSTA in marmoribus apud IAN. GRVTERVM p. XXV. num. 2. LXXXIII. num. 4. 10. II. LXXVIII. num. 7. 8. MXVII. num. 7. THOM. REINESIVM inſcripſit. antiqu. claſ. I. num. 125. quoque adpellatur, inſignem occupat locum. Illam imperatores in cubiculis habebant ac præ omnibus diis colebant, vti ex CAPITOLINO vitæ Anton. pii cap. 12. ſcripſit. hiſtor. Auguſt. tom. I. p. 282. et Antonini philoſophi cap. I. p. 315.

atque SPARTIANO vitæ Alex. Severi cap. 23. eiusd. tom. p. 916. patet: confer. THOM. REINESIVM loc. cit. IO. DOM. BERTOLIVM in antiq. d' Aquileia, ſacre e profane p. 79. LIL. GREG. GYRALDV M ſynt. deor. XVI. tom. I. oper. p. 459 ſq.

g) conf. GRVTERVM p. CCLXI. n. 3.

r) op. ſel. p. 814.

s) num. imp. aug. p. 93.

t) num. imp. Rom. med. et minim.

u) ſynt. p. 32.

x) in cæſare designato ſucceſſore,

cap. 3. p. 53.

y) loc. cit. p. 8.

z) op. ſel. p. 792.

CAROL. PATINVM, z) HENR. NORISIVM a) aliosque habetur. Ille enim splendida hac dignitate auctus erat, qua de re paullo ante memoratus HENRIC. NORISIVS b) legendus est.

HAEC sunt, quæ de origine capricorni, in nummis signati, mihi in mentem venerunt. Plurimi ex iis, qui iamiam hoc argumentum; leuiter tamen, exposuerunt, sententiam meam, quod ad nummos Augusti pertinet, confirmant; vel parum ab ea abhorrent, veluti EZ. SPANHEMIVS, c) LVD. NONNIVS, d) IO. HEMMELARIVS, e) LVD. IOBERTVS f) alique; sunt tamen, qui aliter sentiunt atque in his principem locum IO. HARDVINVS g) obtinet. Insignis hic prisorum nummorum interpres improbat eorum sententiam, qui morem veterum Romanorum, capricornum nummorum ornamentis adsignandi, a sidere Augusti natali deriuant, quamuis in eo, quod capricornus felicitatis sit symbolum, cum aliis conueniat, ac vt insulfam, quam iniit, opinionem corroboret, duo argumenta adfert. Obseruat enim, quod nullus princeps tam insanus extiterit, vt sub cancro; vel capricorno alioque sidere natum se esse, gloriatus fuerit. Tacitus prætereo, quod ita non solum SVETONIVM; h) sed CAESAREM Germanicum i) etiam atque MANILVM, k) tres veteris æui scriptores, de quorum fide, qui dubitaret, nemo existit, orationis vanitatis adcauserit; sed, vt ipsum eius argumentum infringam, miror potius, quod sibi persuaserit, prisorum principum

B 2. men.

z) obs. ad Sueton. p. 163.

a) cenotaph. Pisan. dis. 11. cap. 3. tom. 111. oper. p. 137.

b) loc. cit.

c) de usu et præstanc. numismat. tom. 1. p. 238.

d) com. in Goltzii numism. Aug. p. 38.

e) loc. cit.

f) in science des medailles instrukt. 9. p. 189.

g) in num. ant. populor. et urb. in opera eius selecta translatis, p. 185. et hist. aug. eodem libro, p. 700.

h) vit. Aug. cap. 94. §. 74. p. 363.

i) dict. loc.

k) loc. meum.

mentes tam firmas exitisse, ut eas nulla superstitio occuparet. Augustus non solus fuit, qui vana mathematicorum scientia fretus, ad eos veniebat. IULIUS CAPITOLINVS *l)* de Gordiano dicit: *quum senior Gordianus mathematicum aliquando consuleret de genitura huius, Gordiani nimirum iunioris, respondisse ille dicitur, hunc et filium imperatoris et ipsum imperatorem futurum;* AEL. LAMPRIDIVS *m)* autem idem de patre Commodi Antonini, consule ideoque principe ciuitatis refert. Non igitur mirum euidam videbitur, quod Augustus tam superstitiosus fuerit animi, quum praeterea de SVETONIVS, *n)* PLINIUS, *o)* STRABO, *p)* DIO CASSIVS *q)* alia eius fortis exempla referunt. Idem statuendum est de eo HARDVINI argumento, quando existimat, eos, qui contrariam sequantur sententiam, capricornum ceterorum quoque augustorum, in quorum nummis ille occurrit, esse fidus natale, putare debere; hæc tamen itidem infirma esse, ex iis, quæ supra dixi, luculenter patet. Quamuis autem HARDVINUS palam communi sententiæ repugnet; minime tamen, quod ipse hac de re statuit, adiecit.

PROGREDIOR nunc ad alia capricornique figuram, quam ei in nummis dederunt Romani, expendo. De ipsa eius forma non animus est, verba facere; sed obseruasse sufficiat, quod iste vel simplex; vel geminatus conspiciatur, hicque rarius occurrat, quemadmodum ex eo euidenter patet, quod HVB. GOLTZIUS *r)* et IO. HARDVINUS *s)* vnicum tantum Augusto sacrum; IAC. autem DE BIE *t)* alium eumque in honorem Titi ac Vespasiani cusum nummum tradunt.

Ea

- | | |
|---|--|
| <i>l)</i> vit. Gordian. iunior. cap. 20.
tom. 11. hist. Aug. p. 105. | ed. ALMELOVENI. |
| <i>m)</i> vit. Commod. Antonin. cap. 1.
tom. 1. p. 472. | <i>q)</i> libr. XLVIII. tom. 1. p. 535. edit.
cel. REIMARI. |
| <i>n)</i> vit. Aug. cap. 92. tom. 1. p. 352. | <i>r)</i> num. Aug. tab. LXI. num. 1. |
| <i>o)</i> libr. 11. ep. 7. | <i>s)</i> op. sel. p. 710. |
| <i>p)</i> libr. v. rer. geogr. tom. 1. p. 380. | <i>t)</i> num. aur. imp. Rom. tab. 211.
num. 1. |

Ea potius, quæ sunt huic animali adposita, illustrare, pretium est. Varia quidem existunt numismata, in quibus solus capricornus adparet, ut non solum GOLTZIVS *u)* et MEOBARBVS *x)* eiusmodi duo, tempore Augusti; IO. HARDVINVS *y)* autem, iam memoratus FR. MEOBARBVS, *z)* et ANSELM. BANDVRIVS *a)* plura eaque Gallieni ætate signata exhibent; sed ipse quoque vnum possideo, quod Augusti effigiem, auersa parte; reuersa autem capricornum præ se fert, cum voce ΚΗΖΙΚΗΝΩΝ; in plurimis tamen quadam capricorno adiuncta videmus. Illa erant fortunæ insignia, id quod sæpe Romani fecerunt ac signa deorum solummodo expresserunt; hac autem ratione fortunam per diuinas eius notas effinxerunt, quemadmodum id non solum nummi, capricorno ornati, testantur; sed et alia perspicua hac de re habemus documenta. Sic SERTOR. VRSATVS *b)* aram, huic numini sacram, exhibet, in cuius lateribus ea, quæ fortunæ tribuuntur, cornucopiæ nimirum, globus, gubernaculum ac palma incisa sunt, et CAROL. PATINVS *c)* duos nummos in lucem protulit, qui eadem præ se ferunt. Quod vero ad capricorni signa spectat, eligebant ad ea gubernaculum, cornucopiæ ac globum, quæ fortunæ esse propria, scriptores alique testes docent. LACTANTIUS *d)* dicit: *nam simulacrum eius cum copia et gubernaculo fingunt, tanquam hæc et opes tribuat et humanarum rerum regimen obtineat*, cui non solum PAVSANIAM, *e)* PLVTARCHVM, *f)* HORATIVM *g)* ac marmora et fortunæ simulacra, quæ LVD. MOSCARDVS, *h)* LAVR. BEGE-

B 3

RVS,

u) tab. XXXVII. num. 2. LXVII. num. 9.

x) num. imp. Romanor. p. 33. et 37.

y) sel. oper. p. 849.

z) loc. cit.

a) num. imp. Rom. tom. 1. p. 169.

b) monum. Patav. libr. 1. sect. 7. n. 2.

c) in famil. Rom. p. 131. et 132.

d) libr. III. institut. diuin. cap. 29. p. 417. edit. RVNEMANNI.

e) Messen. cap. 30. p. 355.

f) libro de for. Rom.

g) libr. I. carm. od. 35. v. 6. p. 83. ed.

BENTLEII.

h) in not. ouero memorie del suo museo part. 11. p. 374.

RVS, *i*) CAROL. CAES. MALVASIA, *k*) MICH. ANGEL. CAUSSEVS DE LA CHAVSSE, *l*) PHIL. BONNANIUS *m*) in lucem producerunt; sed etiam innumera pene numismata, apud CAROL. PATINVM, *n*) IO. VAILLANTIVM, *o*) ANSELM. BANDVRIVM, *p*) LVD. MOSCARDVM, *q*) OCTAV. STRADAM, *r*) IO. DOMIN. BERTOLIVM *s*) multosque alios adicias. Præter iam memoratos scriptores, qui edita marmora adcurate illustrarunt, legas: LIL. GREG. GYRALDVM, *t*) VINC. CHARTARIVM, *u*) IO. DOMIN. BERTOLIVM, *x*) OCTAV. ROSSI, *y*) PHIL. A TVRRE, *z*) ALEX. AB ALEXANDRO, *a*) HENR. VALESIVM, *b*) LVD. COEL. RHODIGINVM, *c*) IO. FR. GRONOVIVM, *d*) THOM. MVNCKERVM, *e*) CHRIST. AD. RVPERTVM, *f*) Alia adhuc signa fortunæ, attribuebant veteres poetæ, quæ ALEX. AB ALEXANDRO *g*) et LIL. GREG. GYRALDVVS *h*) recensent; sed ea tantum capricorno adsignabant, quæ præfertim felicitatem denotabant ac augustæ fortunæ hanc ob rem existebant propria, id quod ex memorata ara apud SERT. VRSATVM *i*) patet, quam, augustæ fuisse consecratam, inscriptio hæc, qua prædita est, docet:

FOR-

i) *Jucern. vet. sepulcral. part. 11. tab. 46.*

k) *marm. Felsin. sect. 1. cap. 6. p. 47.*

l) *in simulacr. deor. idolor. cet. in tom. v. zbes. ant. Rom. p. 757. translatis, tab. xx. 199.*

m) *in museo Kircheriano, clas. 1. tab. v. num. 5. p. 27.*

n) *thesaur. numism. p. 61. 77. 78.*

o) *num. augustar. cæsar. p. 1. 114. 143.*

p) *loc. cit.*

q) *tom. 1. num. imp. Rom. p. 317. 356.*

r) *num. imp. Rom. p. 156. num. 183.*

s) *in antichita d' Aquileia, p. 69.*

t) *loc. mem.*

u) *in theatr. ethn. idololatr. p. 193.*

x) *loc. cit.*

y) *in memorie Bresciane, p. 38.*

z) *in monum. vet. Antii, cap. 1. p. 10.*

a) *genetliac. diæ. libr. 1. cap. 13. p. 101.*

b) *obs. ad Am. Marcellin. libr. xxx. p. 224.*

c) *lection. antiqu. libr. xvii. cap. 14. p. 990.*

d) *obs. in Senec. Med. act. 1. v. 65. p. 450.*

e) *obs. ad myrbog. lac. tom. 1. p. 77.*

f) *obs. ad Flozuan, lib. 1. cap. 1. p. 15.*

g) *loc. cit.*

h) *syn. deor. xvi. tom. 1. oper. p. 336.*

i) *diæ. loc.*

FORTVNAE
 AVGVSACR
 C. OPETRIVS
 PHILETVS
 V. S. L. M

Cornucopiae enim, quod alias Cereri: Concordiae: Aequitati: Hilaritati: Abundantiae: Annonae: Vbertati: Paci: Pietati: Monetæ: Romæ ac fluuiis proprium erat, ac quod Pupales, PAVSANIA *k*) teste, fortunæ dederat, abundantem suppeditationem omnium rerum, quas natura desiderat, earumque copiam significabat. Vnde in marmoribus non semel FORTVNA MAMMOSA, *l*) HORREORVM CONSERVATRIX *m*) vocatur. Per gubernaculum summam potestatem ac maximum imperium exprimebant, quum navis magistratum adumbrare putaretur. Multa numismata id testantur, in quibus vel gubernaculum; *n*) vel prora navis *o*) conspicitur. Quid vero faustius: quid felicius globo signum? Ille solummodo augustis, consulibus *p*) ac principibus iuuentutis *q*) in nummis dabatur, propterea quod gubernatores ac domini erant totius orbis Romani ideoque itidem amplissimum notabat imperium.

HAEC insignia capricorni quamvis frequentissime in nummis occurrant; minime tamen illa inter se conueniunt. In eo quidem conspirant, quod orbem capricornus pedibus teneat: in dorso cornucopiae; sub illo autem gubernaculum cernantur; sed pauci sunt, in quibus omnia tria signa adparent coniuncta. In tanta igitur nummorum copia septem tantum nobis cogniti existunt, qui illis sunt præ-

k) Messen. cap. 30. p. 355.
l) apud GRVTERVM *thes. in-*
script. p. CGLI.
m) p. LXXV. num. 1. et 2.
n) confer. ANSELM. BANDV-

RIVM *num. imp. Rom. tom. 1. p. 455. 481.*
o) vide eundem, p. 75. 58. 431. 434.
p) apud BANDVRIVM *tom. 1.*
p. 616.
q) P. 42.

præditi, quosue SEB. ERIZZO, r) HVB. GOLTZIVS, s) FR. MEDIOBAREVS t) et IO. HARDVINVS u) exhibent; ceteri vero vel vnum; vel duo tantum ex iis symbolis habent. Sic in quibusdam apud GOLTZIVM, x) ERIZZO, y) MEDIOBARBVM, z) PATINVM, a) IAC. DE BIE b) cornu copiae ac orbem conspicimus; in aliis vero solum cornu copiae: c) in aliis orbem d) capricorno tantum adpouerunt.

QVEMADMODVM in plurimis nummis signa illa capricorno sunt consecrata; ita in nonnullis alia adparet forma, ad quos præfertim, quem in lucem GOLTZIVS e) edidit, referendus est. Ille, vt ex inscriptione patet, in honorem Augusti est cufus et gubernaculum quidem capricorno, quem in nummo videmus, adsignatum; sed in dorso est positum ac præterea, mulierem, quæ velo prædita, volantem conspicimus. Sine dubio figura illa victoriam denotat, quum

r) in discorso sopra le medaglie, p. 144.

s) numism. Aug. tab. LXVII. num. 1. 3. 5. 6. et 12.

t) num. imp. Rom. p. 26. 28. 37. 39. 122.

u) op. sel. p. 698.

x) num. Aug. tab. XL. num. 9. LIII. num. 2. et LXVIII. num. 10.

y) loc. cit. p. 143.

z) dict. loc. p. 28.

a) num. imp. Rom. p. 370.

b) num. aur. imp. Rom. tab. III. num. 9.

c) id nummi apud GOLTZIVM tab. LXVII. num. 5. MEDIOBARBVM p. 28. IO. VAILLANT num. imper. augustar. p. 8. et 35. IO. HARDVINVM op. sel. p. 792. CAROL. PATINVM num. imp. Rom. p. 32. docent.

d) conferas velim HVB. GOLTZIVM tab. XXXVII. num. II. LXVII. num. II.

FR. MEDIOBARBVM num. imp. Rom. p. 29. 36. 37. 117. IO. VAILLANT loc. cit. p. 130. IO. HARDVINVM sel. op. p. 735. 814. CAROL. PATINVM num. imp. Rom. med. et infr. form. p. 333. Præterea globum saepe ac gubernaculum in variis nummis coniungebant Romani, id quod is, cuius MEDIOBARBVS loc. cit. p. 28. mentionem facit, testatur; immo dissimilitudinem in nummis, qui vnum insigne habent, reperies. Sic tenet capricornus cornu copiae, quod in eius dorso ex ordine est positum, in laurea in nummo, adhuc post mortem Augusti in eius honorem cuso, apud MEDIOBARBVM loc. cit. p. 44. et fruges, quibus cornu est repletum, in nonnullis copula vincitæ; in aliis ea carentes, adparent.

e) tab. LXVII. num. 2.

ista semper, ut ex nummis ac marmoribus fere cuique est cognitum, alata pingeretur. Eadem igitur insita est huic attributo notio, quæ iam memoratis insignibus, quum victoria maximam felicitatem, armis adquisitam, exprimeret. Raro illa autem in nummis, capricorno signatis, occurrit, et vnicus nobis est cognitus nummus, qui ea est ornatus quique apud HVB. GOLTZIVM, *f*) FRANC. MEDIOBARBVM *g*) et SAM. PITISCVM *h*) habetur.

RESTAT alia capricorni species, itidem in nummis expressa; ita tamen comparata, ut paucis verbis eius mentionem facere possim. In iam memoratis nummis insignia quædam capricorno sunt adposita; in quibusdam vero hoc animal ita cernitur, ut alia figura principalis effingatur eique capricornus adiungatur. Eiusmodi nummi, tantum tempore Augusti cusi, si vnum apud IO. HARDVINVM *i*) excipias, reperiuntur eorumque duos FRANC. MEDIOBARBVS *k*) et HVB. GOLTZIVS *l*) exhibent, quorum alter huius imperatoris effigiem; alter vero templum representat; CAROL. autem PATINVS *m*) similiter duos tradit, in quibus Augusti et Roemetalcis capita videnda sunt quæ inter se in eo differunt, quod in altero Augusti pariter ac dicti regis vxorum simulacra sint adiecta. Vterque inscriptione: ΚΑΙΣΑΡΩΣ ΣΕΒΑΣΤΟΥ ac ΒΑΣΙΛΕΩΣ ΡΟΙΜΗΤΑΛΚΟΥ ornatus est. His denique ille adiungendus, quem idem PATINVS *n*) alio loco adfert, et in quo tria femora, Siciliæ symbolum, conspicimus, quippe supra capricornus positus est. Quod vero ad HARDVINI *o*) numisma, iam a FR. MEDIOBARBO *p*) memoratum, adinet, illud tempore Victorini est cusum atque

C

reuerfa

f) loc. cit.
g) dict. loc. p. 28.
h) in tab. num. Augusti, quam vitæ eius in Sueton. præmisit, tom. 1. p. 157.
i) loc. cit.
k) num. imp. Rom. p. 27.

l) tab. vi. num. 9. et LXXIV. num. 9.
m) num. imp. Rom. p. 49.
n) fam. Rom. ex antiquis numismat. p. 100.
o) select. oper. p. 680.
p) num. imp. Rom. p. 397.

reuerſa parte militem præ ſe fert huicque capricornus eſt adſignatus cum litteris: LEG. XXII. PRIM. GENIO.

Ex his igitur vti euidenter patet, quantam felicitatem denotaret capricornus; ita non minus hac de re amplum teſtimonium ſuppeditant occaſiones, quæ ad eius modi nummos cudendos oblatae ſunt. Proſperrimo maximeque ſecundo fortunæ ſtatu imperatores vſi fuerant, ſi in numiſmatibus animal hoc adparebat, ita vt hoc accideret, quando fauſtus exitit armorum exitus: res optimis auſpiciis fuerunt geſtæ: inſignes auguſtis delati honores; vel illi nouis dignitatibus aucti. Sic nummus, celeberrima pugna Aſiaca commiſſa, ſignabatur cum capricorno, quem tradit nobis FRANC. MEOBARBVS, *q*) ac vbi legimus verba IMP. CAESAR, in omnibus fere, quæ memoriam huius prælii conſeruant, inſcripta, vt ex GOLTZIO, *r*) MEOBARBO, *s*) HARDVINO *t*) patet. Eiuſdem cenſus numiſmata GOLTZIVS *u*) et MEOBARBVS *x*) produciunt, quæ ob ſigna, a Parthis recuperata, fuerunt cuſa. Nemo hac de re mirabitur, quum Auguſtus hac in re immortalẽ poneret gloriam. Non ſolum enim eius ipſe ita meminit in monumento Ancyrano: PARTHOS TRIVM EXERCITVM ROMANORVM SPOLIA ET SIGNA RE. . . ſed DIO CASSIVS *y*) quoque, SVETONIVS, *z*) IVSTINVS, *a*) VALERIVS PATERCVLVVS, *b*) HÔRATIVS *c*) teſtes ſunt. Similitatione generis huius nummi adparuerunt, quum, auctoſibus DIONE CASSIO *d*) ac SVETONIO, *e*) Auguſtus Armeniam caperet, vt eiuſmodi vnum GOLTZIVS *f*) exhibet. Cum iis legio-

q) num. imp. Rom. p. 26.

r) num. Auguſti, tab. xx.

s) loc. cit.

t) ſel. oper. p. 629.

u) num. Aug. tab. xxxviii. num. 1. et 3.

x) num. imp. Rom. p. 33.

y) libr. LIV. tom. 1. p. 526.

z) vit. Aug. cap. 21. tom. 1. p. 200.

a) libr. XLII. cap. 5. §. 11. p. 600. ed.

GRAEVII.

b) libr. II. cap. 97.

c) libr. I. ep. 18. v. 56. p. 603.

d) libr. LIV. tom. 1. p. 525.

e) loc. cit.

f) tab. XL. num. 3.

num numifinata sunt coniungenda, tempore Gallieni signata. In iis etiam capricornus occurrit, vti non solum ex FRANG. MEDIOBARBO *g*) ac IO. HARDVINO; *b*) sed etiam IO. FOY VAILLANT *i*) ac ANSELM. BANDVRIO *k*) videndum est.

NON solum vero res præclare in bello gestas; sed alios etiam honores nummis, capricorno signatis, celebrare studebant Romani, qua de re insignes habemus testes. Ita eius sortis nummi cudebantur, quum Octavius splendidum Augusti titulum accepit: *l*) pontificis maximi munus *m*) tribuniciamque potestatem *n*) consequutus est ac pater patriæ adpellatus. *o*) Neque id Augusti tempore solum accidit; sed idem quoque in augustorum aliorum nummis conspicitur. FR. MEDIOBARBUS *p*) nummum Titi exhibet, qui memoriam consulatus, Tito crediti, conseruat, vt plures alios, qui egregie id illustrent, tacitus præteream.

PRÆTER ea in coloniarum nummis, quos illæ in honorem imperatorum signarunt, capricornus frequenter occurrit, quo sine dubio maximam felicitatem siue præcabantur; siue celebrabant. Augusti tempore id non sæpius accidit ideoque eiusmodi Augusti proprios nummos nemò adhuc in lucem produxit; sed tamen Cyzicenorum colonia eos cudendos curauit, quoniam talis est nummus, qualem, vt supra dixi, benignior fortuna ad me tulit. In auersa eius parte, qua caput Augusti videmus, nominis litteras vetustas penitus deleuit; sed non solum earum ve-

C 2

figia;

g) num. imp. Rom. p. 373.*b*) sel. oper. p. 849.*i*) num. imp. Rom. tom. II. p. 168.*k*) num. imp. Rom. tom. I. p. 253.*l*) euoluas SEB. ERIZZO loc.

mem. GOLTZIUM tab. LXVII.

num. 2. et H. HARDVINUM op. sel.

p. 698. PATINUM num. imp. Rom.

p. 32. MEDIOBARBUM p. 29. sq.

m) apud GOLTZIUM tab. LXVII.

num. 7.

n) confer eundem tab. LXVII.

num. 6. MEDIOBARBUM p. 33.

o) videas GOLTZIUM tab. mem.

num. 3.

p) num. imp. Rom. p. 122.

figia; verum etiam effigies declarant, Augusti exhiberi caput. Sed eo mortuo, coloniae sequentium imperatorum numismata diligentius capricorno ornarunt, id quod ea, quae Caesarienses in Luc. Caesaris, *q)* Nicæenses in Neronis, *r)* Maroniti *s)* ac Amiseni *t)* in Hadriani atque Anazarbeni in Iuliae Paullae *u)* honorem cuderunt, luculenter testantur. Quemadmodum igitur nummos veteres Romani, ad maximam felicitatem significandam, capricorno signabant; ita gemmata etiam illius figura ornarunt; de quibus autem nihil adiicio, quum non solum epistolae fines transgrederer; sed etiam superuacanei operis culpam vix effugere possem, propterea quod totus litteratus orbis in certam spem venit, fore, vt eius insigne ornamentum atque decus, ANTONIVS nimirum FRANCISCVS GORIVS, id argumentum in *thesauro gemmarum astriferarum*, quem omnes summo desiderio expectant, more suo, id est, summa industria atque eruditione, persequatur.

q) in num. imp. Rom. p. 122.

r) apud 10. VAILLANT. num. imp. August. p. 7. ceterosque, quos supra nominaui.

s) illum CAROL. PATINVS in Sueton. illust. p. 305 et 10. HARDVINVS in oper. select. p. 121. exhibent.

t) apud HARDVINVM op. sel. p. 760. qui libro de num. antiqu.

popul. et urb. in operib. eius selectis p. 15. de verbis: AMICOT EAETΘEPAE ETOTE PEA, huic nummo inscriptis, etiam commentatus est.

u) quem tradunt 10. VAILLANT loc. cit. p. 130. 10. HARDVINVS num. imp. Rom. p. 333. et 10. TRISTANVS, commentair. histor. tom. II. p. 315.

p. 6. lin. 29. lege pro Gronovium, Perizonium.







✓


CR 599

W01P



ULB Halle
005 594 09X
3






COMMENTATIO
DE
N V M M I S
CAPRICORNO SIGNATIS
ROMANORVM

QVA
SVAVISSIMIS FRATRIBVS
IO. ERNESTO IMMANVELI
ET
CHRIST. GVIL. FRANCISCO
WALCHIIS

DE
PHILOSOPHIAE PROFESSORIS
EXTRA ORDINEM MVNERE
D. VII. MART. CLO 1000 L. IPSIS TRADITO
GRATVLATVR
CAROL. FRIDER. WALCHIVS.



IENTAE LITTERIS RITTERIANIS.

